

a-329

M U S Æ ^{3529.}
TRANSYLVANO - SICULÆ ^{726. II.}

A D
FONTEM ACIDUM LÖVETENSEM
LUDENTES,

PRÆCENTORE

JOANNE

COMITE

LÁZÁR

LIB. BAR. DE GYALAKUTA.

Sacræ-Cæsareo Regiæque Majestatis
Confiliario Status Actuali Intimo Univerfo-
rumque Statuum & Ordinum Trium Na-
tionum Principatus Transylvaniæ
PRÆSIDENTE.

C I B I N I I,

IN TYPOGRAPHIA PUBLICA

EXCUDIT SAMUEL SÁRDI TYPOGRAPHUS

Annô M. D. C. C. LXII.

Horat. Epistol. Lib. II. Epist. 2.

Singula de Nobis anni prædantur euntes:
Eripuere jocos, Venerem, convivia, ludum:
Tendunt extorquere Poëmata - - - -

Ibidem.

Scriptorum chorus omnis, amat Nemus, & fugit
Urbes.

08042

EXCELLENTISSIMO

DOMINO, DOMINO.

JOSEPHO ANTONIO

LIBERO BARONI

DE BAJTA,

SACRÆ-CÆSAREO REGIÆQUE
APOSTOLICÆ MAJEST. STATUS,

ET

EXCELSI REGII IN TRANSYLVANIA
GUBERNII CONSILIARIO,

UTROBIQUE ACTUALI INTIMO,

ET

EPISCOPO TRANSYLVANIENSI,

DOMINO

SUMME COLENDISSIMO,

SIGNUM VELUTI

PERENNIS DEVOTIONIS.

DAT DICAT DEDICAT
AUTOR.

EXCELLENTISSIME

DOMINE!

O Perosè licet, eruditus superioris
sæculi Gallus *Mr. de la Chambre*,
artem cognoscendi Homines descripsit,
in Libello suo cui Titulum *L' Art. de
Connoitre les Hommes* inscripsit: & præ-
cepta ex ipsa Animæ essentia, ejusque
inclinationibus, & adpetitu, vique ejus
formatrice; hincque resultante partium
corporis conformatione, temperamen-
torumque diversitate deduxit: mihi ta-
men nulla alia arte melius certiusque Ho-
mines nosci posse persuasum est, quàm
ex quotidiana colloquiorum consulta-
tionumque cum iis factarum ratione.
Quidquid enim Chiromantiæ, aut Mo-
toscopiæ regulæ, quidquid Geomantiæ
aut Onomantiæ habeant usu forte aut
casu quodam verosimile repertum, fal-
lunt tamen; nec qui eas tradunt, pro
certis

certis venditare audent: at consilia, fer-
moque in consultationibus produnt ani-
mi sensa & arcana, ut non (quod ve-
tus olim Sapiens de se dixerat) Sapi-
ens aliquis fit quia manus habet; sed quia
linguam interpretem animi, rerum hu-
manarum Divinarumque Scientia imbuti.
Nisi itaque taliter *TE* nossem Excellen-
tissime, uti quocum in Confessu summi
in Transylvania Senatus quottidie mihi
consultare datum est: nisi quantum Sa-
cro Ordine & Dignitate anteis, tantum
quoque Doctrina super alios & Pietate
emineres; agrestes hæ Musæ *TUUM* in
conspectum prodire vererentur. Ut ut
enim procaces nequaquam sint, ludunt
tamen; & ideo *TUA* Sancti Præsulis
severitate arceri possent: ut ut porro
Musarum nomen sibi arrogent, agre-
stes tamen illæ sunt & incomptæ, &
ideo Viro tanto, ejusque Doctrina &
Eruditione penitus indignæ. Nunc so-
la *TUA* est pietas, quæ illis favet, &
hoc præsidio fultæ *TIBI* occurrunt Ex-
cellentissime! Parce igitur iis pro co-
mitate

mitate *TUA*, & patere ludere Mufas
has, etsi non Lyra, quam in Græcia
olim aut Latio. pulsare doctæ sunt; ea
tamen, quam in Scythicis his oris pa-
rare licuit genus inter Hominum agre-
ste & infrunitum. Nitescent hoc modo
illæ *TUI* Nominis splendore, & quam-
vis Carmina parum valeant, eo tamen
usque donec supervixerint, cumque sibi
paribus vulgo detestata scombrorum pi-
perisque aut ciceris tegumento cedent,
autorem vel inde quod ea *TIBI* dedi-
care ausus sit gratia apud *TE* valuisse
constabit. Cui dum se æternum com-
mendat manet quoque *TUUS*

EXCELLENTISSIME

DOMINE!

Humillimus, TIBI que devotissimus
Servus

JOANNES C. LÁZÁR.


AD LECTOREM.


*LEVE est fateor Lector Benevole quod in publi-
cum emittimus Carmen; at quia dignum aliis pu-
blico visum, cessimus iudicio Doctiorum, proprio
niti, ob insitum Poetis vitium non ausi: Nam
equidem teste Horatio Epist. Lib. 2. Epist. 2.*

*Ridentur mala qui componunt Carmina: verum
Gaudent scribentes, & se venerantur & ultrò
Si taceas, laudant quidquid scripsere, beati.*

*Dum itaque edita alias nostra non plane
displicuisse publico advertimus, eandem hæc quo-
que sortem experiri volumus. Agrestia hæc sunt
mediis in alpibus & solitudine venationis dum ter
intra septennium fontem acidum accessimus, confe-
cta: quæ si laudem aliquam mereantur, sunt præ-
ter hæc in scriniis Nostris alia, quæ demorsos ma-
gis ungues fortassis sapiunt, publico olim pariter
donanda; sin deridear cum his tineis blattisque re-
linquenda æternum. Hæc interim Lector Bene-
vole perlegas, etiamsi non releges unquam; & si
Carmina damnaveris licet, Autori tamen illorum
fave; qui dummodò ne sibi malè sit,
benè omnibus esse cupit.*

VALE!





I.

Laus Acidulae Lövetensis in Sede Siculicali Udvarhely. Annō 1754.



Audabit quemcunque juvat salientis
in altum

Motus aquae, meditataque longa

Nocte novae ratio pluviae, quae fonte receptas
Per tubulos dispergimus undas.

Delectent alios per amœno consita rure
Versaliae viridaria bellae:

Hortus & Hannoverae fruticetis floridus amplis
Et fontis laudatus honore.

Me Keroj * Silvæque tenent, Vallesque Lövetæ, ** &
*** Varjasius magis occupat amnis;

Quam Cassellanae quas evomit Hercules undae
Æneus, dispositosque gradatim in

Pelves torrentis demittit more ruentis,
Atque lacus, nova stagnaque format.

Heic dum me rapidus demulcet murmure rivus
Concentu suaviore canentum,

Nym-

* Nomen Vallis ad acidulas.

** Nomen Pagi proximi ad acidulas in Sede Sic. Udvarhely

*** Nomen Amnis præterlabentis.



Nympharum mihi tunc occurrit imago jocantum
Ludentumque, urnasque moventum.

Mox pineta jugis, & celsam vertice petram

* Falconum, præruptaque Saxa

Contemplor quoties, mihi jam plantaria sordent
Itala tunc, platanonaque Galli.

Saxaque Naturæ positus imitantia scabros
Inque amplas diducta cavernas.

Quid tu grate oculis acidæ fons auree lymphæ?
Tu morbi mortisque fugator!

Sive Oriente ego te spectem, seu Sole cadente
Gemmatis prorumpere bullis;

Et claram flavo lympham circumdare limo:
Tunc argentum, aurumque resolvi;

E'que octogona puto, quæ sunt clausa figurâ
In rhombum fluitantia ferri.

Pharmaca tu præstas, quæ non Podalirius unquam
Aut possit præstare Machaon.

At quoties mihi tu sitienti carperis ore
Firmo, & quamvis usque valenti:

Nectare tunc pasci videor conviva Deorum;
Et Cœlesti rore fruisi.

Longior o! utinam foret hæc optata Voluptas!
Sed revocor, jubeorque reverti.



II.

Revocatio laudum priorum.

JAM quater in segetes Messor procumbere visus:
Et quater in versam condere semen humum:


Jam

* Rupes prope acidum fontem Hungarico idiomate
Soljom - Kó, idest petra Falconum dicta.



Jam quater hyberna stagnarunt flumina brumâ:
 Et quater æstivis intumuere Notis.
 Ex quo dicta mihi loca sunt peramœna Lœvetæ
 Varjafiusque amnis, fonsque salubris aquæ:
 Heu! quàm plena joci, quàm tunc mihi cuncta fuere
 Plena voluptatis, Silva, ager, unda, molæ!
 Quàm tunc Aura levis, quàm suavi murmure rivus
 Currebat, nemorum quàm fuit almus odor!
 Quàm gratæ Valles, queis Mane & Vespere conjux
 Dulcis, inerrantem me comitata fuit!
 Sed nunc mœror habet; mihi jam nunc omnia fordent,
 Omnis & est rerum tristis imago mihi:
 Nam qui tunc streperi concentus edere rivi,
 Urnaque quam Naias visa movere fuit:
 Nunc Echo gemitus nostri duplicata videntur;
 Et fractæ vocis tertius esse sonus:
 Urnaque Minois pallenti merfa profundo; aut
 Umbrarum Judex, quam Rhadamantus habet.
 Falconum mihi Petra refert Niobeia Saxa; &
 Pegaseo rupes quæ pede tacta fuit:
 Pinus & Italiae plantis æquata, cupressos
 Ferales redolet, Materiemque rogi.
 Serratoque Molæ quæ dente arroditur arbor
 Suspikor ut feretro fissile pandat opus.
 Quid te jam memorem, te qui mihi summa voluptas
 Fons fueras acidæ, fonsque perennis aquæ.
 Tunc mihi ruetabas gemmas, & ab aëre turgens
 Quam propellebas spuma monile fuit.
 Atque oras circum flaventem in margine limum
 Auro tunc licuit composuisse Tagi.
 Nectare laudavi mineralis pocula lymphæ;
 Hisque salutiferæ vis minor artis erat.
 Proh! Superi quanta est rerum conversio! quantum
 Vertitur in formas res, animusque novas!

Non



Non mihi nunc gemæ, quod Fons protrudit in altum;
 Nuper & argento concolor imber erat:
 Sed lacrymæ, guttæque oculis plorantibus actæ,
 Salsaque marcentes quæ rigat unda genas.
 At neque par auro est fulgentis limus arenæ;
 Letiferi potius signa coloris habet.
 Ipse mihi Fons est species ferventis aheni:
 Quo virus coxit Colchica Virgo nocens.
 Nec sapor huic Divum laticis, medicataque Virtus;
 Sed qualis Stygius fertur amaror inest.
 Nunc acidus verè est: amissa Conjuge quando
 Mella etiam reddit sensus amara mihi.
 Letheis utinam fieres fons æmulus undis
 Tentatique haustus vis foret illa tui:
 Ut me ad verfarum caperent oblivia rerum
 Curæque & damni, tristitiæque gravis.



III.

*Laus Balnei ex acidulis Keroj seu Lœvetensibus
 parati.*

Bella per Europam latè diffusa, frequentis
 Materiam sermonis habent: quò te modò cumq;
 Vertas, devictas acies, fusasque phalanges,
 Et captas audis Urbes, elusaque Regum
 Fœdera, & æratas certare per æquora classes.

Bellum etiam Natura fovet: turbataque rerum
 Penè vides elementa, suo nec in ordine ferri.
 Ignis aquâ superatur: & aër rarior ante
 Inprægnatus aquis, spissa de Nube gravescit.
 Terra parens quæ sicca fuit; calcataque duro
 Restitit incessu, nunc mollis diffluit, & tot

Efflu-

Effluviis, undisque super stagnantibus uda,
 Acceptas jam reddit aquas, nec combibit ultra;
 Tecta superficiem, canasque imitata paludes.
 Sidera quin mutare fidem, legesque vetustas
 Excutere, atque novo tentant molimine, quodque
 Alterius prensare vices: nam torridus antè
 Qui fuerat, siccusve *Leo* frigescit, & imbres
 Continuos, nimbosus uti profundit *Orion*.
Syrius ardentis sitiens olim assecla Solis
 In pluvias *Hyadas* se convertisse videtur.

Dii quoque bella gerunt; nec jam nova, me
 quoque teste;

Et partita novo distinguunt limite Regna.
 Nam loca, quæ quondam sylvestribus addita *Divis*
Faunoque & *Satyris* longè regnata fuere:
 Fontesque, & grato crepitantes murmure rivi,
 Quos inter sedem sibi formosissima *Naias*
 Fixerat, & *Dryadum* fertur luisse caterva;
 Nunc *Musis* cessere novem: *Græcisque* relictis
 Ad *Scythicas* venere plagas: heic augur *Apollo*
 Præsudet, atque *lyram* tangens, vallesque *Lövetae**
 Et rupes resonare facit; tripodasque loquaces
 Reddit, & obduras *Siculorum* perfricat aures.
Enthea vis homines heic corripit: heic mihi quamvis
 Carmina perrarò fundenti vena resurgit,
 Et calet, & scribit facili docilique *Minerva*.
 Septima maturis jam candet frugibus *Æstas*
 Ex quo *Fons acidus* mihi ter lustratus, amaras
 Præbet aquas, haustuque juvat, gustumq; remordet:
 Temperat atque ignes & pocula læta *Lyæi*.

Ter

* *Lövete Pagus est in Sede Siculica Udvarhely sub
 alpibus, in cuius Territorio Keroj dicto sunt a-
 cidulæ laudatæ.*

Ter furor incessit Vatem, cantataque terno
 Carmine grata mihi, speciesque ingrata locorum.
 Otia, sepositis heic curis, quando capeffo
 Infectorque feras, & votis *Virgo Diana*
 Expetitur, tunc *Phæbus* adest; plectrumque ferire
 Suadet, cumque feris sacratos figere versus.
 Dumque olim quercus, nisi *Dodonæ* esse canoras
 Jussit, fata aliis clausit, voluitque tacere:
 Nunc nemus omne mihi loquitur, *sylvæque* loquuntur:
 Insidiasque feris quacumque sub arbore ponam
 Et præcelsa canit pinus, canit ornus ab alto,
 Et tremulis abies foliis, corylique loquuntur
 Pronaque de summis descendunt carmina *Fagis*.

Prima mihi falsi fontis laudare salubres
 Potus cura fuit, juxta strepitumque ruentis
 Amnis, & excelsam prærupto vertice petram,
 Et pineta, situmque loci, vallesque recenti
 Aura spirantes, & quæ mihi grata fuere.

Mox ubi dilecta viduatus conjuge pulcras
 Post iterum valles, fontemque nemusque revisi:
 Tristis ut ut, languensque; Deo tamen intus agente
 Effudi gemitus, & lamentabile carmen.
 Omnia tunc mutata mihi, faciesque priores
 Rerum sordebant; nec erat laudabile quidquam.
 Carmina si relegas *Nasonem* crede putabis
 Sive *Tomitanis* suspiria ducere terris:
 In nova seu rerum mutatas dicere formas.


Nunc quoque potatis velut à *Permessidos* undis
 Tertius incessit mentem furor; & nova *Phæbo*,
 Carmina dicturus, chartam, & quibus illino captat
 Arma manus, strepero tractas & ab anseris pennas.
 Nec tamen aut fontem laudo, vel detraho quidquam;
 Fontis opes, & hausta cadis, calefactaque faxis
 Balnea sunt jucunda modò dicendaque nobis:

Est



Est mihi fissilibus tabulata, & frondibus actis
 In latus, umbrosæ species exstructa cavernæ.
 Non nimis ampla; cadis tamen opportuna duobus:
 Huc bis quottidie: dum longè a vertice Sol est,
 Et longè Hesperias merfurus despicit undas,
 Lympha bobus vehitur, vasique ex fonte repleto
 Versa, cados onerat, membris infusa lavandis.
 Magna sed intereà congesto è stipite moles
 Herbofo succensa foco, depascitur igne.
 Injecti lapides & flammescencia faxa
 Candent, & rutilant rubeos mentita pyropos.
 Quos superimpositos factis è segmine furcis
 Effert, inque acidas inmittit rusticus undas.
 Tum verò mugire nemus, parvaque tabernâ
 Aut gemitu reris responsa parare Sybillas
 Aut furere Idæas pulsando tympana Bachas.
 Pugna fit heic calidi cum frigore; quam Schola quon-
 dam

Antiperistaseos celebrato nomine dixit.
 Nam simul ut fundum petiit calor, illicò fursùm
 Commotas propellit aquas, luctatur & usque
 Sævitur, & occiduis bullas eructat inanes.
 Sed certat, vincitque tamen, vincendus & ipse.
 Nam simul ac cessat murmur, strepitusque refedit
 Victi concedunt armis hostilibus ambo.
 Frigent faxa, calescit aqua, & ferventis aheni
 Ferre cados speciem, & vix non bullire videres.
 Tunc ubi ferventi minor est, majorque tepenti
 Incipit esse gradus, mensuraque justa caloris,
 Exuimur vestes; quocum mihi nexus amoris,
 Sanguinis, atque animæ est, Comitum qui stemma-
 te BETHLEN
 Ortus, DAVIDIS sacrata nomen ab unda
 Obtinuit: cumque hoc, quò non Vir justior alter
 Et



Et nemo melior, nec certior audit amicus
 Ingredimur, calidas & aquas immergimur ambo:
 Nec tantum abluimur corpus, sordesque receptas
 Mundamur, falsisque cutis mollescit ab undis;
 Permeat ossa calor, totamque in corpore massam
 Sanguinis, ad celeres missa torpedine motus
 Concitat in venis: mox arcta obpletaque laxat
 Spiramenta cutis, per quæ sudore meante
 Sub cute particulas quæ sunt educit aquosas.
 Rorat aquis vultus stillantibus, & viridi ceu
 Gramine spectares fluidas in corpore gemmas.
 Haud aliter ligno vivum qui claudere tentat
 Argentum, subditque vitro, cui machina densum
 Aëra subduxit, partes tunc ire minutas
 Trans lignum & duri solviffe repagula claustri
 Sentiet, & densas hære per extima guttas.
 Sic ubi sudatum satis est, corpusque levatum
 Tergimur, & ficcis induti excedimus antro;
 Emunctosq; humidis artus, stomachumque fovemus
 Nigro de baccis queis germinat India potu.
 Quàm bene tunc ori, ventrique inmissus inani
 Potus aquæ tinctæ recreat, redditque vigorem,
 Lassis, & reficit fractas per balnea vires!
 Segne quod ante fuit corpus, nervique remissi;
 Et cerebrum lenta veluti vertigine motum,
 Quæque suas præstant obeunda ad munia partes.
 Quodque senescenti fallax promiserat olim
 Saga patri, totum te sentis esse renatum.
 Unde, sagax quæres, hæc prodigiosa resultat
 Vis, Medicis necdum satis explorata peritis?
 Non ex fonte petas: cujus si promiseris ori
 Tam gratos latices, mordent licet usque palatum;
 Longè deductis aliò, longoque dierum
 Tractu servatis, & acor suavissimus antè



Et periit Virtus si quæ fuit ulla medendi.
Neve putes quæso foli hæc tribuenda calori.
Nam calidis utcunque diù multumque fruare
Non tamen hæc virtus, non hæc Divina potestas
His erit; adnatas oculis deducere pelles:
Tendere contractos morboſo corpore nervos:
Tollere prominulas nullo tondente marifcas.

Certior ergo fedet menti ſententia: Saxa
Ingenio formata loci, filicesque jacentes
Heic circùm, ſimiles illis telluere ſub ima
Quos lambunt, acidumque ab iis ſumſere ſaporem
Fontis aquæ, diverſam aliam, teſtamque fovere
Vim, licet ignotam: quæ dum violentius igne
Urgetur rapido, atque ardentibus excita flammis
Eſt inmiſſa cadis, ſe ſe transfundit in undas
Et miſcet vires, & opem fert mixta medendi,
Haud ſecus ac filicis ſcintilla recondita venis
Fomitibus in floccos chalybis transmigrat ab icu.

Hæc meditata cano Muſis Phœboque jubente;
Mercurius quamvis medicam mihi deneget artem.
O! ſi quotannis grata hæc mihi balnea dentur!
Grandævus moriar, ſanusque & corpore firmo
Ævo ter functi ſuperabo Neſtoris annos.

Æ Nunc bis ſena brevi, qui jam numeravero Luſtra.

Keroj. 10. Auguſt. A. 1762.

